



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Quibus exhibentur quaedam  
Observationes circa aliquot Propositiones De Luxuria &  
Abortu Inter LXV. A SS. Domino Nostro Innocentio XI.  
Condemnatas**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1684?]**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40549**



Th. 2170.

G. IV

3.



UR

1710

PHILOSOPHIA MORALIS  
PRAELECTIO  
APPENDIX  
PROPOSITIONES



T H E S E S  
THEOLOGICÆ

Quibus exhibentur quædam Observationes circa aliquot  
Propositiones

D E

LUXURIA & ABORTU

INTER LXV. A SS. DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO XI.

CONDEMNATAS.

QVAS PRÆSIDE

EXIM. VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

LYRANO,

DEFENDET

JOANNES BAPTISTA BECKERS BERINGUS.

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 31. Augusti 1684.



L O V A N I I,

Typis GUTLIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.



## P R Æ F A T I O.

**P**ost horrendas Propositiones de Homicidio quas in postremis Theſibus noſtris expendimus ſequuntur duæ in Decreto SS. D. N. quæ procuratos Abortus faciunt licitos, qui cum ad Homicidium indubiè pertineant, in præfatis Theſibus de illis agendum fuiſſe fortæſis videbitur; ſed quia malitiam propriam & ſpecialem habent, ſeorſim tractandos eſſe cenſuimus. Sanè quia materia ſalebrosa & obſcena eſt, atque idèd multis non immeritò minus grata, propenſiores fuiſſemus ad omittendam, niſi neceſſitas & utilitas multorum aliud ſuaſiſſet. Ut autem de Propositionibus ad Luxuriam pertinentibus in eodem Decreto damnatis neceſſe non ſit ſapius agere, viſum eſt nonnihil recedere ab ordine quo ibidem deſcripta ſunt, & cum 34. & 35. quæ ſunt de Abortu, examinare 48. 49. & 50. Et quidem incipiendum iudicavimus, à 48. de Mollitie, quia ſana doctrina de hoc peccato viam ſternit ad ea quæ de aliis dicenda ſunt.

### C O N C L U S I O P R I M A. D E M O L L I T I E.

#### §. 1.

*Qui Mollitiem negant jure natura eſſe prohibitam, facilè idem negabunt de aliis  
pejoribus ac infandis in iſto genere flagitiis.*

**P**ropoſitio 48. inter condemnatas ſic habet: Mollities jure natura prohibita non eſt, unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali. Authores famoſi Speciminis pro hac propoſitione allegant Caramuelem, virum illum quem quidam laxitatum patroni ſummis laudibus extollunt, dum illum vocant *Virum doctiſſimum & acutiſſimi ingenii*, non ſolum ſcholæſtica & moraliſ Theologia, ut loquitur Diana, ſed etiam poliſtoris litteraturæ peritiſſimum. Verba Caramuelis in Theologia morali n. 1603. ſunt: *Si Deus Mollitiem non interdixiſſet, numquam eſſet mala, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali.* Ita ille, qui cum ibidem num. 1607. dicat infandas Sodomæ & peiores ſpurcitias eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ cujus eſt Mollities (quam ſententiam reputat tam claram, ut contraria videatur error in Philoſophia) procul dubio cenſet de his criminibus contrà naturam quod de Mollitie, nimirum quòd talia libidinum monſtra, ſi Deus non interdixiſſet, non eſſent mala, quòd ſæpè eſſent bona & aliquando obligatoria ſub mortali. Poterat proinde iſte ita laudatus Caramuel de Sodomæ aliſque nefandis contrà naturam ſceleribus dicere, quemadmodum num. 1605. de Mollitie: *Eſum pomi aliàs indifferantem*, inquit, *primis hominibus interdixit Deus, quia voluit & potuit, utpote rerum univerſarum Creator & Dominus. Seminis etiam effuſionem inhibet, non quòd ipſa ſit mala ante præceptum, ſed quòd ipſe ſit Dominus, nos ſervi; ipſe Creator, nos Creatura; ipſi competat præcipiendi authoritas, nobis obediendi gloria relicta ſit.* Ex quibus conſectarium eſt quòd juxtà Caramuelem Sodoma non peccaverit, quandoquidem lex poſitiva quæ peccata contrà naturam prohibuit Iſraëlitis, tum necdum eſſet lata. Eàdem ratione libidines iſtas exercuerint Chananæi ſine peccato; imo & univerſæ Nationes Gentium quæ olim extiterunt poſt latam Legem in Monte Sinai: eſſi enim Deus *annuntiaverit verbum ſuum Iacob, juſtitias & judicia ſua Iſraël*; attamen *non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Adverſùs ſpurciſſimam illam Caramuelis cum ſuis conſectariis doctrinam cum Auguſtino dicimus: *Flagitia quæ ſunt contra naturam ubique ac ſemper deteſtanda atque punienda eſſe, qualia Sodomitarum fuerunt: quæ ſi omnes Gentes facerent, eodem criminis reatu divinâ lege tenerentur; quæ non ſic fecit homines ut ſe illo uterentur modo; violatur quippe ipſa ſocietas quæ cum Deo nobis eſſe debet, quum eadem natura cujus ille author eſt, libidinis perverſitate polluitur.* Lib. 1. Conf. cap. 8. §. 2. 200

*Quòd manifestior est quorundam peccatorum absurditas, & quòd propinquius in prima principia impingens, èd difficilius illa à ratione ostenditur ac probatur per antecedens quòd sit notius suà conclusione.*

**D**ifficillimum, si non impossibile est antecedente aliquo notiori probare veritatem hujus principii speculativi: Impossibile est idem simul esse & non esse; item hujus. Si æqualibus addas æqualia, tota erunt æqualia: quia illa nimis nota sunt, & quia sunt ipsamet prima principia; ita ut nec alia se priora nec se notiora habeant. Eadem etiam ratione par reperitur difficultas ut antecedente notiori probetur falsitas in contradictoriis istorum principiorum. Porrò quemadmodum de ejusmodi speculativis, ita quoque censendum de quibusdam agibilibus, quòd idcirco ægre probetur ipsorum veritas & contradictoriorum eorundem falsitas, quia nimis propinqua sunt primis principiis & quia nimium sunt manifestæ. Patet in his: jus suum cuique tribuendum: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Quis enim adferet antecedens à ratione quo veluti notiori, & ut aiunt à priori probetur veritas tam manifesta istorum agibilium, item adeo manifesta falsitas istorum, quæ principiis illis agibilibus sunt contradictoria vel contraria?

Quamvis ex his non omnino probetur absolute impossibile esse, argumento à ratione ex antecedente notiori ostendere malitiam Mollitiei, Sodomiae, &c. probantur equidem difficultas ostendendi illam; quia malitia istorum peccatorum nimis manifestè impingit in jus naturæ & in prima illius principia. His tamen non obstantibus S. Thomas quaest. 15. de malo art. 3. in corpore probat à ratione illorum peccatorum malitiam. "Peccatum luxuriæ, inquit, dupliciter habet inordinationem: uno quidem modo ex parte concupiscentiæ, & talis inordinatio non semper facit peccatum mortale: alio modo ex parte ipsius actus qui de se est inordinatus, & sic semper est peccatum mortale: & ideo ex hac parte ex qua est major gravitas peccati, sumuntur species luxuriæ. Est autem actus luxuriæ inordinatus aut ex hoc quod non potest sequi ex actu generis, & sic est vitium contra naturam: aut &c., Et 2. 2. q. 154. a. 12. probat rursus à ratione, quod ista peccata in materia luxuriæ sint gravissima." Sicut in speculativo, inquit, error circa ea quorum cognitio est homini naturaliter indita est gravissimus & turpissimus: ita in agendis agere contra ea quæ sunt secundum naturam determinata est gravissimum & turpissimum. Quia ergo in vitiis quæ sunt contra naturam transgreditur homo id quod est secundum naturam determinatum circa usum venereum, inde est quod in tali materia hoc peccatum est gravissimum., Quod minus claræ sint istæ S. Thomæ probationes, non ideo est quia minus certa est istarum libidinum turpitudine, sed quia hæc nimis certa & nimis clara est, & quia ipsis primis morum principiis annumerandum quod istæ libidines sint malæ: hinc namque adeo difficile est reperiri antecedens tam manifestâ conclusione notius, & reperiri principium ipso tali principio notabiliter prius. Hac de causâ ex talium probationum obscuritate potius colliges quod ista peccata nimis manifestè sint contra jus naturæ, quam quod sit vel minima ratio dubitandi an sint contra jus naturæ: secus loquendum foret secundum Caramuelem, qui in sua Theologia Fundamentali pag. 138. ait: qui rem dicit esse illicitam ad multa teneri *primo enim*, inquit, ostendere debet rationes quæ malitiam probant, esse demonstrativas: quæ si cum Caramuele admittas, turpitudines summas, quo notiores, eo facilius excusabis, quia minus probari possunt rationibus demonstrativis.

*Tam manifesta est Mollitiei, Sodomie, & affinium peccatorum contra naturam malitia, ut ipsos pueros non omnino lateat.*

**S**peciali notâ dignum est, quod pueri dum mollitiam aut affines spurcicias committere statuunt, sollicitè latebras quærant, non solum ne Parentes, Magistri, aut alii quos reverentur eos cernant in ipso facto, sed ne hi quovis modo deprehendant quod ipsi talia sint facturi aut quod talia reipsa fecerint. Hinc pueri quantumvis alias garruli & incircumspecti, numquam Parentibus, Magistris aut aliis quos reverentur revelabunt quod ejusmodi obscœna statuerint committere aut commiserint. Alia verò non ægre fatebuntur, ut circa alvi purgationem aut alia licita naturæ opera. Ex quibus inferre licet primo quod pueris sit inditus quidam horror istius turpitudinis. 2. Quod illis sit indita aliqua cognitio vel suspicio turpitudinis quæ est in istis actibus. 3. Quod illorum peccatorum malitia nequidem à pueris omnino ignoretur. 4. Quod pueri ratione utentes non in totum excusentur dum tales obscœnitates exercent. 5. Quòd multò minus excusentur adulti. 6. Quod independenter ab omni Lege positiva (quæ procul dubio ignorari posset) inexcusabiles sint qui talia agunt: sicut in peccatis contra naturam excusata non fuit Sodoma sed subversa, sicut etiam non excusati sed exterminati fuerunt antiqui Chananæi, nec excusati sed puniti fuerunt Philosophi Gentiles, teste Apostolo Rom. 1. traditi in passiones ignominie & in reprobum sensum.

*Ex anteriori Paragrapho confectarium non est quod ista peccata numquam committantur ex ignorantia, nec etiam quod propter ignorantiam à formali, ut aiunt, peccato excusentur.*

**E**t si in pueris sit antedictus horror, adeoque etiam saltem aliqua cognitio vel suspicio turpitudinis latentis in mollitie & affinibus peccatis, evenit nihilominus sæpè ut sibi, etsi cum aliquo remorsu, persuadeant quòd istæ obscœnitates non sint malæ: quod tantò libentius credunt quantò ardentius illas concupiscunt. Quando vero ex hac persuasione libidini suæ indulgent, fiunt magis libidinosi & in materia libidinis magis cæci, adeoque faciliùs credunt, quòd isti turpes actus non sint peccatum; nec fortassis repugnat quòd hæc ratione aliqui omnis turpitudinis horrorem & suspensionem excuriant, quos si ideo à culpa excusare audeas, dic consequenter quòd peccatores quò suis flagitiis sunt magis excusati, eo magis excusentur à culpa. Quòd consequens (ac proinde & antecedens) cum nemo admittet, velut certissimum habendum est quòd istæ libidines non ideo excusentur à culpa quia committuntur ex ignorantia. Vide Theses nostras de ignorantia, in quarum Conclusionè 8. & 9. ostendimus quòd sententia SS. Augustini & Thomæ sit quòd ignorantia juris naturæ numquam in totum excuset agentem contra illud, & Conclusionè 10. ostensum quòd SS. Augustino & Thomæ in hoc consentiant antiqui Scholastici. Hæc tamen non ita accipias quasi quæ hic tradimus dicentes mollitiam non excusari ob ignorantiam, dependeant ab Augustini, Thomæ & antiquorum Scholasticorum sententia de ignorantia juris naturæ; nam ex dictis initio hujus paragraphi videre licet quòd istæ libidines inchoari soleant cum aliqua saltem obscura malitiæ notitia aut suspitione, quòdque per illarum continuationem homo sensim fiat magis ac magis libidinosus, circa libidines magis ignorans, ac sensim magis cœcus; ex quibus evidenter sequitur ista peccata vel non committi ex plena ignorantia vel committi ex ignorantia voluntaria.

§. 5.

*Nulli Confessarii possunt se excusare ab examine suorum Pœnitentium circa mollitiem & tactus impudicos affines eo titulo quod quædam juri naturæ vere contraria censeant excusari propter ignorantiam juris.*

Cum anteriori paragrapho ostensum sit quod antedicta peccata vel non committantur ex plena ignorantia vel committantur ex ignorantia voluntaria; nemo, nisi cum Hereticis Celestio & Abaelardo neget umquam peccari ex ignorantia, poterit mollitiem ex ignorantia ante descripta commissam à culpa excusare: non poterit proinde Confessarius se excusare ab examine suorum Pœnitentium circa mollitiem & impudicos tactus illi affines eo titulo quod quædam juri naturæ contraria censeat excusari posse propter ignorantiam: demus enim contra SS. Augustini, Thomæ & antiquorum Scholasticorum, adde & contra Lovaniensis Scholæ sententiam sine ullo peccato hæc fieri contra jus naturæ ex ignorantia; nemo equidem, nisi cum Celestio & Abaelardo sentire velit, à peccato excusare potest quæ contra jus naturæ fiunt ex ignorantia non plena, vel ex ignorantia per libidinum continuationem inducta, prout paragrapho anteriori ostendimus etiam in pueris fieri mollitiem & libidinosos tactus affines.

§. 6.

*Confessarii variis titulis tenentur ad ante dictum examen suorum Pœnitentium.*

Confessarii munus exigit ut Pœnitentem de mollitiei peccato examinet, ubi non temerè sed merito dubitat num pœnitens illius sit reus: primò quidem quia experientiâ constat confitentes, præcipue in ætate puerili, peccatum istud etiam diurnâ consuetudine frequentare, ubi de illo à Confessariis, ut sæpè fit dum hi incurii sunt aut imperiti, non interrogantur nec instruuntur. Si enim hujus peccati malitiæ scientiam tollis, nihil reliquum est quod ab execranda hac turpitudine avocet aut deterreat; patrat quippè sine infamiæ nota, committitur sine dispendio, unica est malitiæ istius cognitio, quæ ab hoc abducere valeat: & hanc primam rationem dicimus cur de isto peccato à Confessariis interrogandi & instruendi sint Pœnitentes.

Deinde peccatum illud cum ignorantia frequentatum, sæpissime in progressu tantam acquirit pertinaciam, ut multi ejus malitiam postea edocti ægerrime ab illo se abstinere valeant. Et hæc secunda ratio est cur de illo peccato instruendi sunt Pœnitentes.

Tertia ratio merito assignatur, quod istud peccatum (prout ex Gersone de arte sive scientia audiendi confessiones, ex S. Francisco Saleño lib. 2. epistolar. epist. 1. n. 5. & quotidianâ experientiâ colligitur) sit admodum commune, præcipue ætati juvenili: hoc verò in iis vel maximè contingit, quorum Confessarii anteriores, ut nimis sæpè fit, non impleverunt munus, quod hic ab illis exigimus. Quàm paucos enim numerabis inter adolescentes qui de peccati hujus malitiâ nihil audierint? Quàm paucos qui turpem illam motionem nunquam sint experti? alii somno sopiti, alii vigiles, hi per vim imaginationis, illi alloquii, aspectus &c. occasione eam experti sunt: Quid verò ab his (qui sat magno sunt numero) expectandum putas, dum subinde hujus motus quacumque tandem occasione illecebras experiuntur, tectamque illius ignorant malitiam? nonne fieri natum est ut alii, quamquam præter voluntatem ista experti sint, in consensum postea abeant, alii in istam feceritatem ultro quoque se conjiciant?

Quartò dicimus à Confessarii munere prædictum examen exigi, quia teste Gersone loco ante allegato Consideratione 6. *Expertum est, verba ejus sunt, talia vix umquam dici in Confessione à culpabilibus in eis, nisi cautissimâ arte pramonantur, interrogentur, capianturque: & certò.*

*certè necesse est ut Confessor habeat artem hanc obstetricandi spirituales ad educendum colubrum talem pestiferum, tortuosum & virulentum ab anima ipsius: aut ipsa sine dubia periclitabitur, & (ut crebrius) aeternè morietur. Nec reputo audiendos in hac re eos, qui nihil interrogandum aut inquirendum esse dicunt à Confessis.*

Denique omissione illius examinis ac instructionis omnes partes Sacramenti Pœnitentiæ contingit mutilari, insufficientes, irritas, & invalidas reddi: nam Confessio ideo sæpe non est integra, contritio ob affectum istius peccati mortaliter peccaminosum insufficientis, propositum eodem titulo irritum, adeoque & absolutio invalida. Quomodo de peccato isto agendum in Concionibus, dictum est in Methodo remittendi & retinendi peccata, tract. 1. quæst. 1. Dub. 3.

§. 7.

*Vti turpitudinis suspicio circà peccatum mollietatis consistit cum ignorantia malitiae, ita quoque consistit cum subterfugio istius peccati in Confessione.*

Quàm plurimi & præcipuè pueri non obstante suspicione turpitudinis in mollietate, facillimè per venereæ voluptatis illecebras ab ulteriori inquisitione istius turpitudinis: hinc non difficulter credunt mollietatem & tactus illi affines revera non esse peccata: illudque multò facilius sibi persuadent dum istorum peccatorum consuetudine amplius sunt excæcati. Porro sicut hoc pacto contingit mollietatem ex ignorantia primum committi & ex cæcitate frequentari, ita quoque non obstante suspicione turpitudinis quæ saltem initio conjuncta erat, contingit illud ex ignorantia malitiae in Confessione subterferi, maximè dum ignorantia ista, ut fit, accedit pudor fœditatem illam confitendi. Et hæc quidem sunt vincula, scilicet ignorantia malitiae & pudor confitendi, quibus tam multi pœnitentes prohibentur à Confessione sæpius dicti peccati. Confessarios verò ne de peccato illo examinent sæpe tenent alia vincula, nimirum persuasio quod dicta ignorantia mollietatem excuset à culpa, & timor, ut aiunt, pœnitentes per ejusmodi interrogationes scandalizandi. Quod persuasionem illam Confessarios attinet, ex paragrapho 6. patet illam falsam esse: quòd timorem concernit, hallucinatio est circà vocem *scandalizare*: vel enim scandali vocabulo denotatur admiratio, & scandalizari (qui familiaris jam loquendi modus est) idem sonat quòd in admirationem duci, in quo nihil mali ob quòd intermitteretur tantum bonum: vel de scandalo strictè & cum Theologis loquuntur: hujus vero nullum periculum, si Confessarius castè non solum in affectu sed etiam in verbis & interrogandi modo procedat. Ex quibus universis concludendum nihil hic ex parte Confessarii magis timendum quàm ne desit officio suo circa istud examen; cujus, ut jam patet, necessitas timorem, si quis sit in Confessario, meritò expellit, ac piam audaciam meritò inducit. "Reprehendet, ait Gerson Consideratione 2. fortè aliquis audaciam hanc Confessoris qui talia præsumit aperire, quæ vix credibilia sunt, & ferè incogitabilia nisi ab expertis, aut aliunde doctis: sentiat aliquis quòd voluerit, ego coram Deo testor, me plures talibus remediis induxisse ad confessionem, qui fatebantur, numquam etiam in articulo mortis fuisse talia dicturos cuicumque, laudabant tamen Deum totis visceribus gratias agentes quòd se ita aperuerant. Quidam & paucissimi retroire volebant aliquando, sed tandem redierunt fatentes illusionem esse dæmonis, qui claudere os semel apertum rursus fatagebat; alii jam confessi, propter omissionem hujusmodi interrogationis rursus ad confitendum inducti, apertum mihi fecerunt indicium quòd necessaria sit hujusmodi inquisitio."

## CONCLUSIO SECUNDA.

### DE ABORTU.

#### §. 1.

*Procurare Abortum est per se, adeoque semper malum.*

**C**um nulla ex causa liceat procurare pollutionem, minus licet procurare abortum, quandoquidem foetus, etsi ponatur esse inanimatus, sit homini nascituro propinquior quam semen. Non minus ergo, imo magis illicitum est foetum quam semen sanitatis causâ expellere. Si istud non licet causâ sanitatis, non licet, quod laxitatum patroni per Propositionem 34. inter 65 condemnatas docuerunt, *procurare abortum ante animationem foetus, ne puella gravida occidatur aut infametur.*

Vel ex hac ratione patet, quod procurare abortum aequè vel potius magis sit per se malum ac contra naturam, quam procurare pollutionem: quare semper & in omnibus circumstantiis utrumque vetitum erit, sicuti numquam & nusquam non est vetitum mentiri. Eâ de causâ Synodus Ancyrana Canon. 21. indefinitè adeoque universaliter, poenam decernit admodum gravem in excutientes foetum, in omnes scilicet & quacumque ex causa id facientes: *De mulieribus*, inquit, *quae fornicantur & partus suos necant, sed & de his, quae agunt secum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio est, usque ad extremum vitae eas ab Ecclesia removeri: humaniùs autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus poenitentiae tribuatur.* Conformis est Synodus Wormatiensis c. 35. *Mulieribus quae ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutunt ut homicidae proculdubio judicanda sunt.* Nec te moveat vox *homicida*, quasi hac significaretur tantum agi de excutientibus foetum animatum, nam teste Tertulliano *homicidii*, intellige saltem imperfecti, *festinatio est prohibere nasci.* In Apol. c. 9. item Athanagor. in Legatione pro Christianis. *Mulieribus medicamentis abortivis utentes, homines occidere & rationem Deo reddituras dicimus.* Quin imò vetus Poenitentiale Romanum ab Antonio Augustino editum pro Homicidis decernit habendos eos, qui sterilitatem procurant: *Si quis*, inquit, *causâ explenda libidinis vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare vel concipere, ut Homicida teneatur.* Quare ex voce *Homicida* perperam colliges, in Can. Synodi Wormatiensis solummodo agi de excutientibus foetum animatum.

#### §. 2.

*Procurare Abortum est malum & quidem semper ob periculum expellendi Foetum animatum animâ rationali.*

**S**crupulosissimè quidem, inquit Augustinus Ench. cap. 85. inter doctissimos quæri, ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat homo in utero vivere. Utrum sit quædam vita & occulta quæ nondam moribus viventis appareat. Sunt enim multi inter Medicos qui statim à concubitu animam rationalem infundi censent. Thomas Fienus celebris quondam in hac Academiâ Medicinæ Doctor & Professor toto libro quem de Animatione foetus conscripsit, contendit animam rationalem tertio à concubitu die aut citius in materiam humani foetus immitti. Ex quibus consecrarium est, quotiescumque foetus in utero conceptus expellitur, saltem incertum esse an non expellatur foetus animatus animâ rationali. Dico id saltem incertum esse, nam certum est quosdam foetus etiam in uteris prægnantium vivere, prout latius ostendetur circa Propositionem 35. Ex his omnibus patet quòd sicuti numquam expellitur foetus nisi adsit saltem periculum expellendi animatum animâ rationali, ita quoque numquam expelli

expelli foetum, nisi cum gravissimo peccato propter dictum periculum, id est, propter periculum occidendi verum hominem, non minus quam alii homines, animam rationali praeditum.

§. 3.

*Procurare abortum est malum, & quidem semper, etiam ob periculum praecipitandi foetum in penas infernales damni & sensus.*

**N**usquam Scriptura Sacra vel insinuat hominem quempiam in die iudicii fore, qui nec à dextris Christi iudicis nec à sinistris sit statuendus, id est, qui nec in regno nec in igne aeterno sit collocandus: uti etiam nullibi innuit quempiam fore, qui nec sit in praemiis electorum, nec in suppliciis reprobatorum; aut denique fore quempiam qui nec sit in hereditate filiorum Dei cum Christo cohaerere, nec in igne damnatorum qui diabolo & Angelis ejus, adeoque etiam mancipiis illius (qualia proculdubio sunt parvuli ante Baptismum decedentes) est praeparatus.

Hinc S. August. lib. 1. de origine animae ad Renatum c. 9. " Non baptizatis parvulis, nemo promittat inter damnationem regnumque Coelorum quietis vel felicitatis cuiuslibet atque ubilibet quasi medium locum. Quicumque, inquit idem, ab illa damnationis massa quae facta est per primum hominem non liberatur per unum mediatorem Dei & hominum, resurget etiam, sed ut cum diabolo & Angelis ejus puniatur, utrum sane ipsi cum vitiis & deformitatibus suorum corporum resurgant inquirendo laborare quid opus est; neque enim fatigare nos debet incerta illorum habitudo & pulchritudo, quorum certa & sempiterna damnatio. Enchr. 92. Et alibi: Quae iustitia est, ut imago Dei quae non potuit per se ipsam delinquere non supposito peccato originali, si non redimatur sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare: quo utique quisquis non ingreditur interminabilis ignis aeterni cruciabitur poenis. l. de grat. Christi & Incarnatione cap. 14. Sed parvuli illi non intrabunt in regnum Coelorum, igitur juxta S. Augustinum ignis aeterni cruciabuntur poenis. Hinc S. Fulgentius Magistrum suum secutus de fide ad Petrum cap. 27. " Firmissime tene & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris Matrum, sive cum de Matribus nati sine Sacramento sacri Baptismatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriae actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate contraxerunt. Plura Augustini testimonia videre licet apud Florentium Conitium Archiepiscopum Tuamensem. Alia Gelasii Papae, Gregorii Magni, Isidori Hispalensis & plurium aliorum SS. PP. profert Ex. Pater Henricus de Noris in suis Vindiciis, in quibus pro eadem sententia allegat insuper aliquot Concilia Africana, & tandem concludit: Spero fore ubi haec nostra Disputatio legetur, plures in S. Augustini partes transeant, vel saltem à censuris abstineant, neque S. Doctorem excessus infimulent in ea sententia tradenda, quam unanimi consensu Pontifices, Synodi, ac Patres docuere.

§. 4.

*Etsi poena parvulorum dicatur inter infernales mitissima, erit tamen absolute valde magna.*

**C**um juxta Augustini & tot aliorum sententiam inter ignem aeternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus, & regnum Coelorum nullus relictus sit locus medius, ut ponere queas infantes sine Baptismo decedentes, adeoque hi collocandi sint in igne aeterno; facile etiam primo intuitu colligitur quod poena istorum infantium, etsi mitissima erit com-

comparata pœnis aliorum damnatorum , absolute tamen futura sit admodum magna : erit pœna ignis , non aliquot annos tantum , sed æternum duratura.

Præterea quid tam pœnale quàm semper velle quod numquam erit ? Quid tam damnatum quàm voluntas addicta huic necessitati volendi nolendique , ut ad utrumlibet jam , sicut non nisi perversè , ita non nisi miserè moveatur , in æternum non obtinebit quod vult , & quod non vult in æternum nihilominus sustinebit. S. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 1. Animæ damnatorum , etiam dictorum parvulorum , semper volent esse beatæ , & nunquam erunt ; inhiabunt objectis concupiscentiarum ( quia erunt omni charitate destitutæ ) quæ tamen objecta in æternum non obinebunt ; non volent suas misérias quas in æternum sustinebunt.

Pro horum intellectu notandus discursus quem in compendium contrahimus ex libro Gallico cui titulus , *Essais de morale*. Tom. 4. Anima nostra nimis immerfa est sensibus & carni , ut à priori intelligat quanta futura sit vis activitatis suæ cum per mortem liberata fuerit à corpore : sed si attendamus ad ea quæ de hoc Deus nos voluit scire , colligemus vivacissimam fore & vastissimam animæ cognitionem post mortem : nam ut ait S. Paulus 1. Cor. 4. *Dominus in extremo iudicio illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium* (animabus puta & Angelis manifestabit. Deo enim nihil est absconditum) ut iustificetur in sermonibus & iudiciis suis , quæ iusta apparebunt omnibus , dum singuli videbunt bona & mala aliorum , tam ea quibus meriti sunt & demeriti , quàm bona & mala quæ in premium & supplicium recipient. Innumerabilem autem rerum in hoc iudicio ponderandarum multitudinem fore nemo non videt : non enim propria tantum merita vel demerita , præmia vel supplicia , sed etiam aliena omnium hominum videbunt ; nec tantum facta , sed & dicta , cogitationes , desideria & affectus quoscumque cum omnibus suis circumstantiis. Ex quibus ulterius collige quod animæ tunc cognoscent omnia merita omnium Electorum quæ ab initio mundi usque ad generale iudicium extiterint , & similiter omnia demerita reproborum quæ intra istud tempus fuerint. Cognoscent insuper omnes actus & reliqua omnia quæ Electis per totam æternitatem obveniant ; quia hæc omnia erunt illis in premium. Pari ratione cognoscent quæ obvenient reprobis omnibus per totam æternitatem : hæc enim omnia erunt illis in supplicium. Maxima proinde debet post hanc vitam esse vis animæ ad intelligendum.

Non minor post hanc vitam erit animæ vis ad amandum : reprobi proinde , inter quos erunt sæpe dicti parvuli , qui cum nihil sint habituri de charitate , pleni erunt cupiditate : Hujus verò objecta æternum concupiscent eo ardore qui respondeat vivacitati ad intellectus sui : Quare sicuti animæ parvulorum tunc sunt habituræ cognitiones quasi infinitum vivaciores , clariores & magis extensas quam adulti modo habeant in hac vita , ita quoque tunc habebunt cupiditates & affectus reliquos quasi infinitum vivaciores , vehementiores ac magis extensos , quam nunc sint cupiditates cujulliber hominis.

Obscurior animæ cognitio in hac vita offuscat & quasi stupefacit cupiditates & reliquos affectus ejus , quemadmodum somnus dolores corporis. Verum cum mors animam excitaverit de ista vitæ hujus somnolentia , tunc oculi ejus erunt aperti , tunc illa habebit ideas vivas & claras omnium rerum , ut concipi vix possit quantum crescent ejus amores & cupiditates , qualique cum impetu anima tendet in suum objectum ; instar nimirum arcus relaxati , & instar ponderis quod impedimento sublato quo in alto retinebatur , incipit tendere versus suum centrum , totis scilicet viribus & tota sua fortitudine. Eum in modum ac pari impetu anima parvulorum à corpore liberata , semper desiderabit esse beatæ , numquam obtentura beatitudinem ; semper desiderabit objecta concupiscentiarum quæ in æternum non assequetur ; & simili modo semper optabit esse libera à miseriis quas in æternum sustinebit. Tanto proinde dolore ac tristitia afficietur anima carens ob-



jectis concupitis, quanta erit cupiditas ac ardor quibus ea concupiscet. Dolor ille ac tristitia in æternum non minuentur, ut jam fit, per debilitatem corporis, numquam interrumpentur per distractiones ad alia objecta, quia anima per totam æternitatem doloris seu tristitiæ objectis constanter inhærebit. Ex quibus omnibus conficitur quod dolor ac tristitia rationalis in animabus parvulorum sine Baptismo decedentium erunt admodum magna: quibus si addas pœnam sensus ab igne infernali, non videmus quomodo dubitari possit, quin procurantes abortum gravissime peccent eo titulo, quod saltem periculo se exponant foetum conjiciendi in tantas ac tam diuturnas pœnas: nam ut ante ostensum est, numquam expellitur foetus sine periculo expellendi animatum animâ rationali.

§. 5.

*Nullam speciem excusationis allegant procurantes abortum, dicendo se opinari quod foetus non tam cito, sed longè tardius animetur animâ rationali; item sentire quod parvuli sine baptismo decedentes non puniantur pœna sensus.*

**N**ihil certius est quam animam rationalem in foetum humanum immitti independentem à nostris opinionibus, & similiter parvulos cum solo originali decedentes puniendos esse non juxta humanas de illa re sententias, sed secundum justitiam divinam; ita ut opiniones hominum nihil accelerabunt aut tardabunt circa animationem foetus, nihil quoque augebunt aut diminuunt circa pœnas parvulorum: sive proinde hoc sive illud putent procurantes abortum, ipsorum opinio nec minuet, nec augebit, aut aliter immutabit periculum expellendi foetum animatum, eumque conjiciendi in pœnas infernales mox descriptas.

CONCLUSIO TERTIA.

*Allegatur doctrina generalis de Voluntario in causa sive indirecto, & unâ ostenditur quandonam Mollities & Abortus sint voluntaria in causa.*

§. I.

*Definitur Voluntarium in causa.*

**V**oluntarium aliud dicitur voluntarium directè, id est, quod secundum se est volitum; aliud voluntarium indirectè, quod aliter vocant voluntarium in causa, sive interpretativum. De voluntario directè hic obiter tantum agemus, tum quia satis notum est, tum quia non spectat ad materiam hâc conclusione examinandam. Voluntarium indirectè sive in causa dicitur effectus qui alicui agenti imputatur quatenus ponit causam quam debuisset omittere ne sequeretur talis effectus. Hinc collige voluntarium in causa solummodò habere locum in effectibus malis: quia impossibile est ut effectus bonus agenti imputetur in laudem quia ponit causam quam debuisset omittere ne poneretur talis effectus: secus de effectu malo qui ex actione nostrâ sequitur, quia non debet effectus malus, ut in culpam imputeretur, esse volitus secundum se, prout debet bonus ut imputeretur in laudem: hic insuper debet esse volitus propter suam bonitatem ut censearis bene agere, etsi malus non debeat esse volitus propter suam malitiam ut male agas. Quæ omnia per se nota sunt iis qui mentem habent utcumque capacem contemplandæ legis æternæ.

Causa in definitione intelligitur non solum positiva, sed etiam privativa: nam omittenti impedire ex gr. homicidium quod impedire debebat, censetur esse voluntarium in causa. Sic juxta S. Th. in 3. p. q. 80. a. 7. in c. nocturna pollutio proveniens ex illusionem dæmonum aliquando est voluntaria in causa homini omittenti se per devotionem armare adversus ejusmodi illusionem. Verba S. Th. sunt: "Consideranda est causa pollutionis nocturnæ: quandoque  
,, enim.

enim provenit à causa extrinsecâ spirituali , scilicet ex dæmonum illusione.... Illusio  
dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotio-  
nem, quæ potest esse mortale & veniale peccatum.

Ex definitione patet duo requiri , ut effectus sit voluntarius in causâ : Primò namque  
requiritur ut causam ex quâ effectus sequitur agens omittere teneatur , defectu cujus re-  
quisiti non dicitur justo observanti mandata Dei esse voluntaria, invidia quæ in aliis inde  
nascitur ; quia observantiam illam omittere non debet. Ex. gr. Abel non debebat omit-  
tere religiosam suam oblationem Sacrificii propter iram Cain : nec Joseph debuit omit-  
tere accusationem fratrum de crimine pessimo ; ob sinistrum eorum in se affectum qui  
inde vel nascebatur vel augebatur. Secus dicendum de libidine quæ in aliis accenditur ex  
lascivo mulieris alicujus ornatu , quem proculdubio omittere debet. Secundò requiritur ut  
causa omitti debuerit ne sequeretur malus iste effectus , id est , ut eo titulo quod malus  
iste effectus foret secutus , causa omitti debuerit. Nam Clerico qui inter venandum  
occidit hominem dum putat occidere feram , non dicitur homicidium esse voluntarium in  
causa , si circumspeditionem ac reliqua omnia adhibuerit quæ ab alio quocumque adhi-  
beri debebant ne tali eventu homo occideretur : siquidem non debuit tunc ista venatio  
omitti ob periculum homicidii , sed alio titulo , quòd nimirum per Canones Clerico fit  
interdicta. Ex iis quæ de voluntario directo & indirecto sive in causa dicta sunt , sequi-  
tur primò quod voluntarium directum cæteris paribus fit magis voluntarium quam indi-  
rectum : hoc enim propriè omnino loquendo volitum non est , sed solummodò reputatur  
volitum , quatenus nimirum causa ejus non est omissa , ubi ex adverso voluntarium dire-  
ctum est propriè & secundum se volitum.

Secundò sequitur quod voluntarium directum cæteris paribus fit magis culpabile quam  
indirectum : ex. gr. homicidium , pollutio , &c. directe volita proculdubio sunt longe  
magis culpabilia quam volita indirecte , ut si hæc sit volita solummodo ratione neglectæ  
præparationis adversus illusiones , & illud ratione ponderis incircumspectè ejecti in  
plateam frequentatam. Ratio est petenda ex illo axioma : propter quod unumquodque  
est tale ipsum est magis tale. Dictum est , cæteris paribus , quia fieri potest ut unica mol-  
lities directe volita sit minus culpabilis quam plures volitæ indirecte ex. gr. per mulierum  
lascivum venereumque ornatum , si ille , ut sæpè fit , ad talia pelliciat multos juvenes.

Ex iis quæ de voluntario directo specialiter diximus , sequitur quod ipsa causa ratione  
cujus quidpiam dicitur voluntarium in causa , sit directe voluntaria ; ex. gr. dum Eccle-  
siasticis , Parentibus , aliisque Superioribus quædam crimina committentibus indirecte vo-  
luntaria sunt similia crimina à laicis , filiis ac subditis illorum exemplo patrata : tunc enim  
causa , id est crimina quæ Ecclesiastici &c. committunt in propria persona , est ipsis  
directe voluntaria ; hinc illi tunc magis sunt culpabiles quam laici , dum hi sola crimina  
propria volunt directe , & illi insuper aliena indirecte.

Ex iis quæ specialiter dicta sunt de voluntario indirecto consuetarium est , nullatenus  
subsistere quod quidam aiunt , voluntarium indirectum non esse magis culpabile , quàm  
causam secundum se. Etenim cum voluntarium quatenus indirectum non dicatur culpabile  
ratione malitiæ quæ inest causæ (nam causa est voluntaria directe ) sed ratione effectus ,  
expendendum est quanta sit malitia in effectu , ut à proportionem ejus dignoscatur quam  
culpabile sit istum effectum velle in causa. Hinc certissimum evadit : 1. Quod volunta-  
rium in causa possit esse culpabile , etsi causa secundum se nullo modo sit culpabilis.  
2. Quod voluntarium in causa possit esse mortaliter culpabile , etsi causa secundum se sit  
venialiter tantum aut nullo modo culpabilis : utrumque patuit dum ab Apóstolo culpâti  
fuerunt qui cum aliorum scandalo comedebant quæ idolis erant immolata : alterum  
specialiter patet quando mulier gravida ex potione aut comestione vel quâvis aliâ

actione aliàs licitâ vel venialiter tantum malâ prævidet secuturum abortum ; aut quispiam ex joco alias licito vel venialiter tantum malo prævidet secutura valde gravia mala, ex. gr. odia, graves rixas aut duella.

§. 2.

*Prima animadversio circa voluntarium in causâ.*

**A**D dignoscendum quandonam effectus sit voluntarius in causâ : primò expendum quanta sit in effectu secuturo malitia : nam quo effectus est pejor eo magis est cavendus. Ex. gr. si effectus sit homicidium, magis caveri debet quam parva læsio : hinc fieri potest, ut quamvis parva læsio non foret voluntaria in certa causâ, quia adeo infrequenter ex ista sequitur ; homicidium nihilominus, licet æque infrequenter sequeretur, esset voluntarium in causâ. Similiter fieri posset ut pollutio nocturna non esset voluntaria in certa causâ, ex. gr. comestione aut potione aliquâ, quia rursus adeo infrequenter ex ista causâ sequitur, abortus tamen, licet æque infrequenter sequeretur, esset voluntarius in tali causâ. Variis namque titulis longe deterior est abortus, etsi non directè volitus, quam pollutio nocturna similiter non directè volita. Deinde cum periculum foetum, ne dicam occidendi, præcipitandi in poenas infernales ac æternas damni & sensus, sit longe majus quam pericula amittendi famam, bona temporalia, sanitatem, & vitam ipsam, facile est hinc colligere quod parentes magis illud quam hæc cavere debeant, quodque pro illo avertendo Deum singulariter debeant orare.

§. 3.

*Secunda animadversio circa voluntarium in causâ.*

**U**T de voluntario in causâ rectè judices, etiam indagandum an & quam frequenter contingat effectum malum ex causâ illa sequi : etenim dum sequitur frequentius, magis est cavenda illius causâ : Hinc non omnes homines æque cavere debent intemperantiam cibi & potus ob sequelam pollutionis nocturnæ, sed magis illi in quibus hæc frequentius ex illa intemperantia contingit : idem esto judicium de multis aliis actionibus, potissimum venereis aut affinibus, quæ titulo pollutionis nocturnæ, & magis titulo diurnæ, majori obligatione caveri debent ab iis in quibus pollutiones sæpius inde eveniunt : de abortu similiter est judicandum. Nec mirum, cum accidere possit, ut quædam huic personæ omittenda sint ob ejusmodi pericula, non illi ; quod in ipsâ talia pericula locum non habeant. Ex. gr. vidua quæ ex anteriori matrimonio didicit se habituram abortus si rursus Matrimonium contrahat, illicite illud contrahit ; fecus alia in qua non est istius rei periculum. Hinc collige quod matrimonii usus possit hoc titulo esse illicitus quibusdam conjugibus, etsi non aliis.

§. 4.

*Tertia animadversio circa voluntarium in causâ.*

**Q**uo minor est ratio ponendi causam ex qua timetur effectus malus, eo facilius ( cæteris nimirum paribus, quod in similibus semper intelligimus ) effectus ille est voluntarius in causâ. Ex. gr. contingit ex ædificiorum necessariorum constructione operarios aliquos trabes vel lapides transferendo aut aliud agendo lædi : fieri tum potest ut ob infrequentiam aut levitatem læsionis comparatæ ad ejusmodi ædificiorum exstructionem læsio non censeatur ædificanti voluntaria in causâ, attendendo ad rationem sive necessitatem ædificandi ; ita ut similis læsio æque infrequenter conjuncta actionibus quibusdam inutilibus, ex. gr.

ex. gr. temerariæ ejectioni ponderum ex fenestra aut inutili translationi lapidum, lignorum, &c. cenferetur voluntaria in causa. Hâc ratione fieri potest ut venereæ quædam corporis commotiones sint voluntariæ in causa audientibus, legentibus, intuentibus venerea sine ratione, saltem tali quæ coram Deo sit sufficiens; ita ut illæ commotiones non essent voluntariæ in causa iis qui ejusmodi venerea audirent, legerent, intuerentur ex ratione quæ coram Deo justa est. Dico *coram Deo*; quia infinities contingit, ut mundus judicet esse justam rationem venerea audiendi, videndi & loquendi, ex. gr. in conventibus mundanis ac illecebrosis personarum utriusque sexûs, item legendi in Romannis, ut vocant, quamvis rationes illæ coram Deo non solum non sint sufficientes ad permittendum in se dictas inordinatas commotiones: verum etsi his cessantibus, ob temporis perditionem, ob scandala aliorum, & ob multa alia professioni christianæ inimica, solícite deberent vitari.

Ratione non omnino absimili perperam negantur turpes corporis commotiones esse voluntariæ in causa quia luxus & intemperantiæ ex quibus proveniunt mundo probantur aut necessaria reputantur. Idem cense de ebrietatibus, rixis, &c. quatenus sequuntur ex conviviis coram Deo inutilibus. Minori jure negatur quod voluntarii sint in causa abortus qui indirecte accersuntur per varia lasciviæ, petulantia aut pompæ mundanæ genera, & generatim qui per causas quascunque, etsi mundo probatas, Deo tamen improbatas.

Priusquam hunc paragraphum finiamus, notandum non sufficere quamcumque justam rationem ponendi causam, ut effectus malus qui inde sequitur non sit in illa causa voluntarius, prout in æquivalenti ostendimus in Thesibus nostris die 27. Januarii 1684. defensis, dum in earum Conclusione quarta impugnavimus hanc generalem regulam: *dum causa habet duos effectus unum bonum & alterum malum, licet eam ponere intendendo effectum bonum & permissive se habendo ad malum.* Vide illic etiam horrenda corollaria quæ ex regula illa nimium generaliter accepta deduximus. Ad dicta ibidem remittimus harum Thesium lectorem, ut dum viderit ibi quandonam ob effectum bonum liceat ponere causam, permissive se habendo ad effectum ejus malum, etiam colligat quandonam ob rationem bonam liceat ponere causam effectus mali, sicut non censeatur propterea interpretative velle effectum malum. Videbit ibi inter cætera quomodo effectus bonus (& consequenter justa ratio) debeat considerari comparative ad effectum malum qui ex causa sequitur: ex quo ulterius colliget, quod si causa ponatur ob rationem in se justam, minorem tamen quam requirat effectus malus ejusdem causæ, censebitur equidem qui causam ponit interpretative velle effectum malum. Ex quo facile est videre quod major commoditas hujus illiusve situs corporis præ aliis in lecto non sit ratio sufficiens ut quis censeatur non velle interpretative pollutionem, quæ ex tali situ sequitur. Colliget præterea, quantum prægnantes cavere debeant perturbationes animæ & corporis quæ creare possunt periculum abortus: nam in abortu, etsi nec procurato nec directe intento, specialiter considerandum est quod effectus malus consistat in periculo summi mali, id est, in periculo ne foetus incurrat pœnas æternas damni & sensus: nam, ut ante ostendimus, periculum istud comitatur omnem abortum, etiam à prima die concubitus.

§. 5.

*Quarta animadversio circa voluntarium in causa.*

Quantò causa magis malitiosè ac foedè insluit in effectum malum, tantò magis propterea cavendum est ne causa ponatur, non solum quia productura est talem effectum, sed quia tam malitiosè ac tam foedè eum est productura. Hinc magis cavenda causa pollutionis diurnæ quàm nocturnæ: hinc etiam titulo pollutionis secuturæ arctiori obligatione tenemur vitare, cæteris paribus, actiones venereas ex quibus illa procedit, quàm indifferentes.

§. 6. *Quinta*

*Quinta animadversio circa voluntarium in causa.*

**H**ic etiam attendendum an agens non habeat obligationes speciales vi alicuius officii ad averendum effectum malum de quo quaeritur an sit voluntarium in causa: nam si habeat speciales, facilius illi quam aliis ille effectus est voluntarius in causa: ex.gr. peccata Subditorum, Filiorum, Parochianorum, Pœnitentium facilius sunt in causa voluntarii Superioribus, Parentibus, Pastoribus & Confessariis illorum, quam aliis; & cum singularissimè debeamus cavere ne gravia peccata ipsi in propria persona committamus, facilius nobis ratione periculi peccandi in propria persona sunt voluntaria propria peccata, dum eorum occasionem non tollimus, quam peccata aliena, quorum similiter occasionem non tollimus; intellige rursus cæteris paribus; nam mulieres ex.gr. quæ suis verbis, factis, aut luxurioso ornatu sunt occasio multorum peccatorum contra castitatem in multis aliis, possunt hoc titulo longè gravius peccare, quam si sibi ipsis solis essent occasio alicuius talis peccati.

*Sexta animadversio circa voluntarium in causa.*

**E**x antedictis evidenter confectarium est non posse generaliter determinari quoties debeat effectus malus sequi ex certa causa ut ille effectus censeatur in ista causa voluntarius: quia ex animadversione prima habetur, minus in hac parte sufficere quando effectus est magis malus, id est, tunc effectum minus sæpè debere sequi ex causa, ut in ista causa sit voluntarius. Ex tertia minus sufficere, quando minor vel nulla est ratio causam ponendi. Ex quarta minus sufficere, quando causa magis malitiosè aut magis foedè influit in effectum. Ex quinta rursus sufficere minus, quando agens habet obligationes speciales vi alicujus officii ad averendum effectum malum.

*Evidens est non subsistere has Regulas: ut effectus malus sit voluntarius in causa, debet ex illa causa sequi* FREQUENTER, PLERUMQUE, SEMPER VEL FERÈ SEMPER, MORALITER CERTO, &c.

**U**T effectus malus sit voluntarius in causa, sufficit quod illa causa debuisset omitti ne sequeretur talis effectus. Quoties aut quàm rarè sufficiat, pendet à gravitate malitiæ quæ est in effectu, à magnitudine rationis ponendi causam, à modo quo causa influit in effectum, item à specialibus obligationibus ipsius agentis. Ex quibus faciliè est videre quandoque etiam sufficere quod effectus rarè sequatur ex certa causa; si nimirum effectus sit valdè malus & nulla ratio causam ponendi, &c. Quin imò demonstrari potest, quod effectus quidam possit alicui esse voluntarius in causa, etsi res ita se habeat, ut de centum vicibus tantum sæmel natus sit ille effectus sequi. Ex. gr. demus locum qui possit capere centum homines illic stantes, verùm scis quod hic & nunc in illo loco stet unicus, nec novisti ullatenus quo loco: deinde ex alto in locum illum sine ulla ratione demittis ingens pondus quod certo opprimeret hominem illum si eum tangat. His præsuppositis hominis illius occisio est voluntaria in ista causa, & tamen cum ibi sint centum spatia quorum unicum occupat iste homo, natum erat evenire ut ex centum vicibus sæmel tantum ille occideretur; poterat enim illud pondus æque cadere in quodvis aliud spatium

ex nonaginta novem non occupatis. Hæc non eo sine allegamus ut probemus semper sufficere quod effectus tam rarò conjungatur causæ in quâ est voluntarius, sed istud sufficere aliquando; imo aliquando nequidem tantum requiri, facile est ex rationibus allegatis, & ex hoc uno exemplo illis subjuncto colligere. Nec minùs facile est hinc videre quod statuendo regulas illas de voluntario in causâ, cogaris in omni genere excusare numerosa ac gravissima peccata, quæ consistunt in voluntario indirecto.

§. 9.

*Ex antedictis conficitur, ut aliquid vitandum sit titulo occasionis peccati quam proximam vocant, male requiri ut in peccatum trahat FREQUENTER, PLERUMQUE, SEMPER VEL FERE SEMPER, MORALITER CERTO.*

Cum ex antedictis constet quod malum aliquod, ut læsio alterius hominis, possit nobis esse voluntarium in causâ, etsi inde non sequatur moraliter certo, nec semper, aut fere semper, nec plerumque, nec frequenter, magis poterit nobis in causâ esse voluntarium peccatum aliquod mortale nostrum, etsi ex causâ illa nec moraliter certo, &c. nec frequenter sequatur. Etenim quo malum est gravius & huic personæ specialiori titulo, cavendum, eo, ut rursus ex dictis patet, est facilius in causâ voluntarium: nullum vero malum debet homini censi gravius nullumque arctiori titulo cavendum quam peccatum mortale: est enim malum non pœnæ sed culpæ, & quidem lethale; nec alienum sed proprium. Hinc ulterius sequitur quo peccatum inter mortalia est gravius, eo facilius censi volitum in causâ.

Ex dictis conficitur quod male definiant occasionem peccati quam proximam vocant, qui sic definiunt ut requirant quod in peccatum trahat frequenter, plerumque, semper vel fere semper, aut ut moraliter certo: quia procul dubio sufficit ad occasionem peccati proximam, id est ad occasionem peccati quæ vitanda est, quod ita sit inductura in peccatum, ut qui eam ponit aut continuat, censeatur hoc ipso peccatum velle in sua causâ, sive velle interpretativè, aut ut aliter loquuntur, indirectè.

Hinc ulterius conficitur quod si ad occasionem peccati quam proximam vocant, id est, ad occasionem quæ vitanda est, requiras quemadmodum multi, quod in peccatum mortale trahat frequenter, plerumque, semper aut fere semper, moraliter certo; infinitas occasiones peccatorum omnis generis, quæ revera & coram Deo vitandæ sunt, negabis esse vitandas; indulgebisque hominibus ut in illas occasiones se conjiciant, ut in iis mancant, atque hac ratione innumera peccata deinde committant. En unum exemplum pro mille: demus virum qui etsi per annos aliquot singulis diebus frequenter certam mulierem, quotannis cum illa octies circiter solet adulterari: dubitare non licet quin accessus ad istam mulierem sit isti viro titulo occasionis proximæ vitandus, etsi ex quadraginta vicibus tantum semel inde sequatur adulterium.

§. 10.

*Quidam termini circa voluntarium in causâ & occasionem peccati impresserunt nocivas ideas in moralibus.*

UT aliquid sit voluntarium in causâ, quidam requirunt ut causâ istud producat per se, quemadmodum loquuntur: jam verò illud per se verosimiliter ab aliquibus intelligitur per se physicè, ab aliis per se moraliter, à nonnullis ut sit idem quod moraliter certo, semper vel fere semper, plerumque, &c. quodlibet autem illorum tendit ad magnam laxitatem. De illis particulis moraliter certo, & cæteris jam explicatis satis patet. De primo intellectu

intellectu ostenditur hęc ratione : quia dantur quamplurima quę sunt voluntaria in causa, etsi causa producat illa solummodo *per accidens* physicę loquendo : manifestum hoc est in omnibus factis & dictis quibus proximum nostrum scandalizamus. De secundo intellectu sic ostenditur : quia valde multa dantur quę in causa hominibus sunt voluntaria, etsi ipsi non sint istorum causa *per se* moralis, id est, etsi ipsi illa non causent ex intentione directā : patet in omnibus omninō quę sunt solummodo voluntaria indirectę. Ex quibus universis clarum est, quod ad voluntarium in causa requirendo ut causa istud producat *per se*, imprimantur multis idęe admodum nocivę circa moralia.

Idem facillē est ostendere de illo termino *occafio proxima*: etenim cum primo auditu ita sonet, ac si diceretur, occasio adeo propinqua ut non detur propinquior; natum est evenire ut multis, precipue pronis in laxitatem, hęc ratione de occasione quę vitanda est, id est, quam ipsi proximam vocant, talis imprimatur idęa, ac si nulla occasio esset vitanda, nisi adeo sit propinqua, ut non detur propinquior; quod nihil aliud est dicere, quam occasionem peccati debere in peccatum trahere *moraliter certo, semper vel fere semper*, aut quid simile.

#### CONCLUSIO QUARTA.

*Propositiones 35., 48. 50. inter condemnatas repugnant experientia, traditioni, rationi.*

**E**Xperientiā constat foetus quosdam matris utero excisos, postea vivere, quandoque etiam in longum tempus : quod etiam aliquando evenit dum eventu aliquo extraordinario per partum eduntur mense octavo, septimo, &c. Ex quibus indubitatē concludendum, quod foetus in utero matris vivat animā rationali, priusquam edantur partu ordinario post novem menses. Falsum proinde est quod habet propositio 35. : *Videtur probabile omnem fetum quamdiu in utero est carere animā rationali.* "Negare vixisse puerperia, inquit, Augustinus Enchr. 86. quę propterea membratim exciscantur, ut ejiciantur ex uteris pręnantium, ne matres quoque si mortua ibi relinquuntur, occidant, impudentia nimia videtur.

Cum Apostoli in suis Epistolis, Ecclesia in suis Canonibus, & Patres in suis libris fornicationem culpent ac puniant independentē ab omni lege positiva, & gravius quam si sola lege positiva esset prohibita; conficitur falsō dici in Propositione 48. quod *fornicatio solum sit mala quia interdicta.*

Non solum Scripturę Sacrę dicenti indefinitē & universaliter : *mulier vivente viro vocatur adultera si fuerit cum alio viro*, sed etiam rationi adversatur quod dicitur in Propositione 50. *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium* : quia fidelitas quam sibi debent conjuges est ex institutione divinā, sive juris divini, quo varias ob rationes Deus statuit ut non liceat marito, & minus uxori, se tradere alteri: uxor proinde committit adulterium etsi maritus consentiat de facto, cum non possit consentire de jure. Hinc Can. 70. Concilii Eliberitani etsi nunc abrogato statuitur : "Si conscio marito & ipso consentiente fuerit uxor męchata, placuit nec in fine eis dandam esse Communionem.


#### P E R T I N E N S.

**E**X his Thesibus patet quod sententiis quas probabiles vocant, earum Authores voluerint a peccato excusare non solum Homicidia & peccata Luxuria, sed etiam qua in utroque genera sunt summa.


FINIS.















Theles  
Doctorū  
Academiae  
Lovan.

Th

2170